VOTA ET MOTIVA PROCESSVS HABITI, ET ACTICTATI IN CVRIA D. Iustitiæ Aragonum, Intitulati Processus don Martini de Bardaxi super Apprehensione in Articulo Iurisfirmarum.

IN PROCESSV, ET CAVSA in Curia Domini Iustitiæ Aragonum habito, & actitato, intitulato, Processus Dō Martini de Bardaxi, super apprehensione, in articulo Iurisfirmarum. Existente dicto processu, & causa in deliberatione super diffinitiua sententia. Tres Domini Locumtenentes admodum Illustris Domini D. Martini Baptista de Lanuzá, militis Maiestatis Domini nostri Regis, Consiliarij, ac Iustitiæ Aragonum, fuerunt voti, quod tenentur, ac debent pronuntiare, & recipere propositionem Iurisfirmæ in præsenti processu oblatam pro parte Don Ioannis de Torrellas, & Bardaxi, principalis Petri Morillo, & Didaci Antonij Antin procuratorum, præstita prius per eum cautione forali, cæteras propositiones Iurisfirmæ reijciendo, & repellendo, neutram partium in expensis condemnando. Cætera supplicata locum non habere, attentis contentis. VNVS ex dictis tribus Dominis Locumtenentibus dicti Domini Iustitiæ Aragonum fuit ex motiuis sequentibus tantum: Ex eo præsertim, & aliàs recipitur Iurisfirma dicti Dō Ioannis de Torrellas, principalis Petri Morillo, & Didaci Antonij Antin procuratorum, quoniam constat de legitima possessione

e iuſdem, iuſtificata longi temporis acquiſitione, triginta, & quadraginta annorum continuorum, vſque ad tempus apprehenſionis, ſufficienti ad obtinendum in hoc articulo iurisfirmarum, & excludendum Don Martinum de Bardaxi: Cuius quidem propoſitio iurisfirmæ repellitur, quia non conſtat de aliquo titulo, & cauſa legitima ad ſuam poſſeſsionem ciuilem, legis, & fori miniſterio inductam, iuſtificandam, ſaltem ad excludendam actualẽ, ac veram poſſeſsionem dicti dõ Ioannis, & ad obtinẽdum in eodem, quod omnino facere tenebatur don Martinus in hoc articulo, in quo non poſſeſsio ſolum, ſed poſſeſsio iuſtificata deſideratur. Innititur namque don Martinus in hoc articulo duobus principaliter fundamentis. Altero, ſententiæ diffinitiuæ latæ in hac apprehenſione in articulo litis pendentiæ, in gradu appellationis, qua ſola ſe ſe in hoc Firmarum articulo tutum arbitratur, exceptione rei iudicatæ ſibi competenti, & dicto don Ioanni de Torrellas ex diametro obſtante. Ait enim ſe ad hanc bonorum apprehenſionem veniſſe ea ciuili poſſeſsione inducta a foro *A vezes* qua is, qui titulum habet in bonis defuncti obtinere ſolet aduerſus actualiter poſsidentem, qui per annum, & diem in poſſeſsione non extitit, ſeque verificaſſe, & probaſſe in articulo litis pendentiæ intra annum, & diem præfatos veniſſe, ſicq; obtinuiſſe ſententiam in eodem & in poſſeſsionem fuiſſe miſſum, habereque rem iudicatam, pro ſe in hoc iurisfirmarum iudicio, manutenendumque eſſe in eodem, donec in proprietate vincatur, motus verbis dicti fori *A vezes*, ibi, *Que a la hora el poſſeedor deue ſer defendido en ſu poſſeßion, entro a que ſobre la propiedad ſiá judicialmente vencido.* Quibus probare contendit, quod licet forus is factus fuerit ad iudicium iurisfirmarum, protractus tamẽ fuit etiam ad iudicium litis pendentiæ. Cumque de eo in lite pendente tractatum iam ſit, debere intelligi, & accipi cum omnibus qualitatibus eiuſdem, ac ſignanter cum ea, vt obtinens in lite pendente, ſit manutenendus in poſſeſsione, quo ad in iudicio petitorio ſuperetur, indeque in hoc exceptionem præfatam rei iudicatæ, prædicto don Ioanni agenti obſtare debere. Altero capitulorum matrimonialium innitorum inter don Ioannem de Bardaxi, & domnam Serenam de Moncayo in proceſſu exhibitorum, quibus contendit ad bona apprehenſa ſe eſſe vocatum in caſum contrauentionis, & delationis armorum de los Bardaxis cum mixtura, & caſum ſuæ vocationis

nis venisse, monuisseque legitime don Ioannem, quatenus eligeret arma de los Bardaxis sine mixtura, aut de los Sanchez, sine eadem. Cęterum neutrum horum sibi posse in proposito opitulari existimamus, ex multis in iure, foro, & ratione consistentibus, & ex processu resultãtibus. Non primum, quo credidit sententiam in processu litispendentię latam prodesse sibi in hoc articulo iurisfirmarum, nocereq; dicto don Ioanni agenti. Nam secundum legitimas sanctiones, exceptio rei iudicatæ obesse solet tribus necessario concurrentibus; scilicet quod sit actũ inter easdem partes, super eisdem bonis, & eodẽ modo agendi, quorũ altero deficiente, deficere quoq; exceptionem rei iudicatæ fatendum est. Vnde licet in proposito, in iudicio litis pẽdentiæ, actum fuerit inter easdem partes, & super ijsdem bonis, & itidem id ipsum repetatur, & tractetur in hoc articulo iurisfirmarum, quia tamen agitur diuerso modo agendi in hoc, quam in illo litis pendentiæ, ea exceptio vtique in proposito locum habere non poterit. In processu namque litis pendentiæ, agitur sumariè de possessione, nec quæritur an iustificata sit, nec admittitur repulsa testium, aut contradictoriũ, nec exceptiones etiam falsitatis, requirentes altiorem indaginem, sed per eum solum declaratur quis sit in possessione, & quis partes rei in plenario possessorio debet exercere: At hic in processu iurisfirmarum, agitur plenariè, & testium repulsa, ac cæteræ exceptiones admittuntur, tractaturq; non de possessione solum, sed de possessione iustificata, adeoq; vterq;, tam don Martinus, qui succubuit, de nouo tenentur suam possessionem iustificare ad obtinẽdum in hoc plenario iudicio, aliter quam per sententiam præambulam litis pendentiæ, ergo non datur exceptio rei iudicatæ, deficientibus ijs, quæ concurrere debebant ad eius natiuitatem, nec de vno processu summario datur exceptio rei iudicatæ, ad alium plenarium, licet de vno sumario, ad alium eiusdem speciei, soleat allegari. Neque obstat id non procedere vbicumque tractatur de possessione in articulo litis pendentiæ, quæ etiam habet admixtam causam proprietatis, qualis est ea, quæ oritur ex dispositione fori *A vezes*, dum disputatur de titulo, & possessione, legis ministerio inducta, ad obtinendum contra actualiter possidentem, nam tunc sententia lata in tali possessorio, debet exceptionem rei iudicatæ producere, in alio iudicio possessorio, & sic in articulo iurisfirmarum. Multipliciter namque respondetur,

Primo,

Primo, quod in summario tenutæ, siue litis pendentiæ, non tractatur de proprietate, etiam in viam fori *A vezes*, taliter, quod iudicij natura, vel tela processus possit immutari, fierique de summario, plenarium: licet enim cognoscatur de titulo ad excludendũ actualiter possidentem contra fori dispositiones, non tamen ob id iudicium desinit esse possessorium summarissimum, quoniam titulus tunc accessoriè pro possessione disputatur, vt ciuiliter possidens, & legis ministerio, actualiter possidentem valeat superare, non quod ex eo negotij natura, & qualitas immutetur, & de summario, fiat plenarium ex tituli accessione. Nam aliàs si ex sola cognitione possessionis cum titulo resultaret præfatus effectus, nasceretur que exceptio rei iudicatæ in plenario, vtique eadem exceptio noceret agenti in proprietate, quod esset absurdum; Vnde fatendum est, quod aut in hoc casu non tractatur de possessione habente admixtam causam proprietatis, aut quod si habet, non possit producere exceptionem rei iudicatæ in hoc plenario iurisfirmarum. Secundo, in Regno sæpissime actum videmus de possessione in iudicio litis pendentiæ cum titulo, & nihilominus de eodem in plenario possessorio disputari, absque tali exceptione, vt mirabile videatur, nullo vnquam tempore fuisse a Practicis excogitatum, ab eo iudicio summario, etiam cum titulo, ad aliud plenarium, talem exceptionem obstare potuisse, eo quòd in priori præparatorio, & præambulo de titulo tractatum fuisset, quoniam semper, & generaliter tradiderũt, sententiam latam in summario, solum afferre præiudicium partibus in lite pendente, donec sit cognitũ de possessione, vel de proprietate, quoniam per eam tantum declaratur quis sit interim in possessione tuendus, & quis rei, aut actoris partes in plenario debeat sustinere, nulla facta distinctione, an cum sola possessione, an vero cum possessione titulata quæstio agitata censeatur, & dispositionem fori *A vezes*, quæ exorbitans est, ad alios casus extendere valde periculosum existimamus: Ergo obtinens in possessorio summario virtute prædicti fori *A vezes*, quamuis multis gaudeat priuilegijs, non tamen habebit exceptionem rei iudicatæ aduersus collitigantem in iudicio iurisfirmarum, contra naturam & substantiam processus, & contra mentem expressam fororum, & nostratum omnium Practicorum, tan antiquorum, quam modernorum. Neque in contrarium mouere possunt verba illa dicti fori *A vezes*, ibi, *Que a la hora*

ra sia el posseedor deue ser defendido en su possession entro a que sobre la propriedad sia judicialmente vencido. Inde deducens don Martinus, quod cum is forus sit protractus ad iudicium tenutæ, quemadmodum si vinceretur in eo don Martinus, erat tuendus don Ioannes donec in proprietate succumberet; ita similiter & è cōtrario victo don Ioanne in lite pendente, don Martinus tuendus sit donec in proprietate superetur. Quod argumentum licet subtile, & ingenio plenum videatur, non tamen in proposito recte sumi, aut procedere posse, arbitramur, esseque aduersus mētem, & verba clara eiusdem fori, semper credidimus. Quamuis enim forus *A vezes*, factus primordialiter ad iudicium iurisfirmarum, extensus sit ex consuetudine, & praxi ad iudicium litis pendentiæ, vt sicut in iudicio iurisfirmarum admittebatur possessio titularis, & ciuilis, aduersus actualiter, & naturaliterpossidentem, & eadē in processu litis pendentiæ admitti debeat, quod ingenue fatemur, non tamen inde sequitur esse protractum cum omnibus qualitatibus, nec praxis id obseruauit, præmaxime si tales sint qualitates, quæ naturam & formam processus, cui adijciuntur, immutare, & destruere videantur. Et vbi sequella valeret, quod cum omnibus qualitatibus esset prorogatus, non recte, infertur: ergo quemadmodum si vinceretur don Martinus in lite pendente, erat tuendus don Ioannes, donec in proprietate vinceretur, ita quoque & è contrario id ipsum fatendum sit, don Ioanne victo in lite pendente: nam argumentum hoc a contrario sensu, non procedit, vbi militat diuersa ratio, aut vbi legum, aut fororum correctio sequeretur. Item quia forus is *A vezes*, correctorius est, & exorbitans a regulis foralibus, vt qui actualiter, & naturaliter possidet, a non possidente, iuris, ac legis ministerio superetur, & quod ad solum fauorem occupantis possessionem inductum est, & non est extendendum ad fauorē eius qui cum titulo contra eundem actualiter possidentem venit, ergo solum interpretari, & admitti debet in casu, in quo loquitur tantum, non in alijs, etiā similibus. Dum igitur forus disponit, quod vbi veniens cū titulo ad bona defuncti, passus est, alium bona occupare, & per annū & diem ea possidere, quod eo casu talis possessor tueri debeat in possessione aduersus titularem, donec de proprietate cognoscatur. Nam est dicere idem quoq; esse dicendum, vt titularis etiam eo solo, quod obtinuerit in lite pendente, debeat manuteneri in eadem donec in

proprietate superetur. Et quod non possit actualiter possidens, iterũ in plenario iudicio de possessione tractare, nec suam possessionem titulo aliquo de nouo iustificare, nec allegare de non subsistentia tituli ex aduerso in vim fori *A vezes*, producti, aut obtinentem, non esse partem legitimam demonstrare, nec alias exceptiones opponere a iure, & foro opponi permissas. Nam id sane esset forum alias exorbitantem extendere plura specialia in eo coadunare, mentem, & verba subuertere, & forales dispositiones odiosas, & correctorias, de vno, ad alium casum protrahere, nouumque quid in Tribunalibus deducere, quod neque auditum, neque scriptum inuenimus. Ac tandẽ si forus *A vezes*, factus fuit primordialiter ad iudicium iurisfirmarũ possessoriarum, vbi plenarie de possessione tractatur, nihil mirum si possessorem occupantem esse tuendum decideret, donec in proprietate vinceretur, quoniam tunc nullum aliud supererat iudicium, nisi proprietatis, at vbi summarie de possessione tractatur, prout in litependente, & præparatorio ad idem iudiciũ iurisfirmarũ, secus forsan disposuisset: Ergo non debet ea foralis dispositio ad casus alios prorogari. Et quamuis obtinens cum titulo in lite pendente iustificatã dicatur habere possessionem, vt in ea possit manuteri, non tamen inde liberatur ab onere iustificandi eãdem in plenario possessorio aduersus eum, qui ad processum citauit: nam aliàs inutilis esset processus iurisfirmarum, si eo facto, obstaret exceptio rei iudicatæ. Ergo exceptio rei iudicatæ a donMartino ad merita causæ opposita, don Ioãni agenti nocere minime potest. Neque insuper secundum fundamentum don Martini sibi posse opitulari existimamus, quoniam ipse non se includit, neque in articulo litis pendentiæ, neque in hoc, cum instrumento solemni capitulorum matrimonialium dictorũ don Ioãnis de Bardaxi, & domnæ Serenæ de Moncayo: neque don Ioannem agentem taliter admonuit, quod deberet ius suum in defensum relinquere, aut propriam suam suorumque maiorum possessionem defendi nomen & arma Bardaxinorum cum mixtura deserere. Neque sumptum ab hac Curia leuatum, a processu Ioannis Mir super manifestatione, potuit extrahi ad præiudicium don Ioannis non litigantis in eodem, & vbi id effici potuisset, fidem instrumento non augeret, neque instrumentum extractum per Antonium Carui tanquam commissarium notularum Arnaldi Carui habebat lineas, & calendarium

manu

manu eiusdem Antonij commissarij: nec tempus etiam longissimum hos patentes & notorios defectus potuit supplere: nec tandem vbi hæc omnia deficerent, & instrumenta dotalia legitima forent, casum suæ vocationis venisse ostendit. Quas difficultates recte sentiens dō Martinus, defectus monitionis, & instrumenti subsanare, & corroborare contendit in hoc articulo varijs instrumentorum adminiculis, qualia sunt laudatio eorundem capitulorum matrimonialium, sumptum ab hac Curia leuatum, & a Regia Audientia in secunda instantia confirmatum, testamentum don Ioannis de Bardaxi vinculantis factum anno millesimo, quadragentesimo quadragesimo septimo, in quo pacta prædicta calendantur, & sententia quædam arbitralis per Ioannem Fernandez de Heredia Comitem de Fuentes primogenitum eorum, & Gundisaluum secundo genitum, in qua adiudicarunt bona apprehensa dicto Gundisaluo secundo genito, ex prætensa incompatibilitate delationis armorum, cum Comitibus de Fuentes ex dictis pacti dotalibus deducta: Sed ea omnia, & alia nequeunt supplere prædictos defectus patentes, & notorios, & vbi aliquatenus supplere potuissent, esset quasi ex nunc, non vero quasi ex tunc, ea ad tempus monitionis, & requisitionis retrotrahendo, quibus tūc don Ioannes credere, & acquiescere minime tenebatur. Adhæc don Martinus per exhibitionem horum instrumentorum, non solum non se includit, verum & manifeste se excludit, probat enim don Ioannem Fernandez de Heredia tres habuisse filios, quorum deficientia non est allegata, nec probata in huiusmodi processu, constatque in rei veritate tempore monitionis, & apprehensionis, & postea extitisse successores, qui poterant excludere dictos don Ioannem, & don Martinum simul litigantes: ergo don Martinus non se includit. Imo ex eisdem apparere videtur don Ioannem de Torrellas & Bardaxi nunquam possedisse bona apprehensa virtute dictorum pactorum matrimonialium, cum secundum ea non ad don Ioannem prædictū, sed ad alios, bona prædicta pertinuisse dignoscatur. Quo fit don Ioānnem de Torrellas possidentem, & a Iudice non monitum, sed a parte, non teneri, nec debere propriam possessionem deserere, stigmataq; Bardaxinorū sine mixtura deferre, indeque & in hoc articulo semper possedisse asserendum est, & tanquam iustius, & legitime possidentē obtinere debere, non obstante quod don Martinus in articulo litis penden-

pendentiæ obtinuerit in gradu appellationis. Secundo dictus don Martinus virtute dicti fori *A vezes*, nequit obtinere in hoc iuditio possessorio, quoniam obstat illi exceptio illius fori, non enim venit intra annum & diem a prima contrauentione don Ioannis de Torrellas, post interpellationem eidem factam, sed multo quidem post, ac pro inde don Ioanes tutus est exceptione illa forali. Neq; mouere potest, quod enixe contendit don Martinus, nempe quod cum post requisitionem prædictã factam don Ioanni, is semper vsque ad tempus apprehensionis contrauenerit præcepto disponentis, habetque contrauentio illa tractum successiuum, adeo vt credendum sit, don Martinum non magis pro prima, quam pro vltima contrauentione appellitum apprehensionis obtulisse, eum semper intra annum venisse, dicendum sit. Respondetur namque argumentum illud non procedere, ex eo, quoniam forus terminum constituit ad præscriptionem adimplendam, dans ei principium, à cõtrauentione publice scita computandum, vt qui ab eo tempore extiterit in possesione per annũ, & diẽ, tutus sit exceptione foralis præscriptionis. Nec ea prescriptio ad eius complementum, alios actus cõtrauentionis desiderat, ni solum insistentia possesionis nuda & simplex. Vnde quamuis alios actus contrauentionis efficiat dõ Ioannes, ei minime prossunt ad continuandam prescriptionem, nec ipse eam potest interrumpere per alios actus. Prior namque cum insistentia possesionis quam solam forus desiderauit ad complendam prescriptionem ei sufficit, absque eo quod in hoc Iudices valeamus, aliquid arbitrari, alia senim, numquam prescriptioni dicti fori *A vezes*, locus foret. Intentum enim prædicti fori fuit defendere eum qui possesionem occupauit post mortem, aut contrauentionem, & in ea extitit per annum & diem, quamuis postmodum eo existente in possesione prescriptionemq; complente, millies contrauenisse probetur. Vnde cum a die interpellationis factæ a don Martino, & contrauentionis prioris per eum publice scitæ passus, don Ioannem posidere per annum, & diem, absq; eo quod apellitum apprehensionis obtulerit, vtique præscriptioni dicti fori *A vezes*, locum fecit, obstatque don Martino exceptio de qua ei extitit facta obiectio, & replicatio, non obstante quod dicatur eam ctõrauentionẽ habere tractũ successiuum. Nam præterquãquod satis ex superioribus huic argumento satisfactum est, respondetur insuper,

ſuper, quod eum ex priori contrauentione ex voto eiuſdem don Martini, fuerit tranſlatum dominium & poſſeſsio bonorum, in eundem tanquam ſucceſſorem, & vocatum, efficitur profecto, vt de inde in don Ioanne de Torrellas contrauentio aliqua conſiderari non valeat, ſaltem ad impediēdum curſum huius annalis præſcriptionis. Quoniā ex parte eius contraquem præſcribitur, non ſunt actus qui eam interrumpant, ergo cæteræ contrauentiones in propoſito, nullius cōſiderationis erunt in hoc iudicio poſſeſſorio. Tertio, fori *A vezes*, diſpoſitio loquitur, & procedit, quando quis bona defuncti occupauit, vt tunc veniens cum titulo, poſſit obtinere, quando tertius non occupauit, ſed ſuam ſuorumque poſſeſſionem continuauit. Cumq; in propoſito conſtet, don Ioannem non occupaſſe, ſed continuaſſe ſuā, ſuorumq; poſſeſſionem, fit inde, don Martinū ex eo foro nullatenus aduerſus don Ioannem obtinere poſſe. Aliunde igitur victoria quærenda eſt. Adhæc don Martinus, ex alio nequit obtinere in præſenti proceſſu, quoniam ante declaratā caducitatem, & contrauentionem inter partes in iudicio, nō potuit ad apprehēſionis iudiciū deuenire, quod de iure neceſſarium eſſe exiſtimamus; cum poſſint adeſſe, & adſint, quamplures, & infinitæ cauſæ, quibus ſeſe contraueniens poſſit excuſare: Neque verba illa prædictorū pactorum matrimonialiū, ibi, *Et do lo ſobredicho no fizieſſe, que venga en el ſegundo fillo maſclo, &c.* contrarium ſuadent. Illa enim Iudicis declarationem expoſcunt, non pœnam ipſo iure, & facto incurrendam demonſtrant. Et quamuis in contrauentione, & pacto de non alienando, quod in faciendo conſiſtit, ſit in Regno practicatū, vt poſſit nulla alia declaratione ſpectata ad iudicium apprehenſionis deueniri, at non ita in conditionibus. quæ in non faciendo conſiſtunt, videlicet, in delatione nominis, & armorum ſine mixtura, obſeruatum vidimus, nec practicatum, vt qui non ita obſeruauerit, ſuo iure, & poſſeſſione priuetur, ſine ſententia. Ergo in hoc caſu ad iuris communis diſpoſitiones recurrendum eſſe exiſtimamus, quibus cauetur nō ipſo iure pœnā incurri, ſed ſententiam Iudicis deſiderari, qua conſtet contra facientem in pœnam priuationis incurriſſe: Cū igitur nec talis ſententia præceſſerit, nec monitio Iudicis interceſſerit, conſequens etiam eſt, nec don Ioannem ſua eſſe poſſeſsione priuandum, nec don Martinum in hoc proceſſu poſſe obtinere. Vltimo ſto, quod inſtrumenta valida forent, & quod

 don

don Ioannes fuerit legitime requisitus, & quod intra annum venerit don Martinus, adhuc tamen videtur dubitari non inutiliter posse an obligatio ferendi nomen & arma Bardaxinorum, sine mixtura dō Ioanni de Torrellas iniuncta censeatur, & sane videtur, quod de eo non loquatur substitutio, nec quod propter delationem armorum cum mixtura fecerit locum don Martino. Postquam enim in eisdem pactis don Ioannes de Bardaxi donans vocauit filios, ac descendentes masculos don Ioannis de Bardaxi donatarij, & in eius defectum, don Petrum de Bardaxi, & eius filios, ac descendentes masculos, sine onere ferendi nomen, & arma Bardaxinorum, ad alias substitutiones digreditur, in hæc verba, *Et en caso que otros fillos del dito Iuan de Bardaxi no aura, o contecera los otros fillos y descendientes dellos morir, en manera que no y de fincassen descendientes de los otros fillos del dito Mossen Iuan, en el dito caso los ditos Castillos, y lugares sean, finquen, y tornen a los fillos masclos, legitimos de la filla del dito Iuan de Bardaxi, & a los descendientes dellos, de mayor en mayor, en la forma que esta ordenado en el dito Iuan de Bardaxi, è sus fillos & descendientes dellos: Con tal empero, manera, & condicion, que el dito fillo de la dita filla del dito don Iuan de Bardaxi, que succedera en ditos bienes, lleue las armas dreytas de Bardaxi, sin mixtura alguna. Et dolo sobredicho no ficiesse, que venga en el segundo fillo masclo de la dita filla del dito don Iuan, con la dita condicion, è carga, & ansi successiuamente en los otros fillos de las fillas del dito Inan de Bardaxi, de vno en otro, seruando orden de genitura. Quieren empero, que los fillos masclos de la primera, filla, si ende aura, sean primeros en el grado de la succession, de los fillos de la segunda, è aquello mesmo se serue en los fillos de la otra, sin de aura, seruando las formas, è calidades de suso puestas, è ordenadas: & en caso que no y de aura fillos masclos de las fillas del dito don Iuan de Bardaxi, en el dito caso, los ditos Castillos, tornen, è finquen, de & a los fillos masclos de las ditas fillas*

del dito Pedro, e, a los descendientes dellos por recta linea masculina, de mayor, en mayor, seruando orden de genitura, & en la manera, e forma, e con las calidades, e modificationes de susoditas, e que de parte de suso es ordenado en el dito Iuan de Bardaxi, & descendientes del. E con la manera, condicion, e cargo de auer de lleuar las armas, & sobre nombre de Bardaxi, de suso ditas, sin mixtura alguna, segun de suso es recitado. Ex quibus verbis, non obscurè deduci videtur in obligatione ferendi nomen & arma Bardaxinorum sine mixtura; solum contineri filios masculos filiarùm don Ioannis, nulla facta mentione descendentiũ ab eisdem, neq; tale quid in litera legitur, & præceptum, & onus impositum fuisse filio fillæ, qui in bonis succederet, sub pœna quod eo ita non adimplente, ad secundum bona deuenirent, ac ita successiue in alijs filijs dictarum filiarum: ergo grauamen hoc non loquitur cum don Ioanne in præsenti processu agente, qui filius filiarum don Ioannis donatarij non est, sed descendens vlterior. Tum quia discretiuè de filijs filiarum donatarij loquitur substitutio, tum etiam, quia vbi datur talis discretiua vocatio, distinguens quosdam gradus substitutionis, sine onere & grauamine præfato ab alijs, in quibus tale onus appositum reperitur, filiorum appellatione, non continentur nepotes, nec alij descendentes, sed grauamen & onus, eo tantũ in gradu censetur appossitùm, cui iniungitur, non in alijs: maxime in hoc Regno vbi cartæ statur, secundum quam ita stricte est iudicandum, signanter in re tam odiosa, & quæ tam graue successoribus irrogat preiuditium, quale est priuatio successionis, & successionis tam honorificæ ob tam leue, & vanum onus. Et vbi iustum, & rationabile iudicetur, erit obseruandum in gradibus, & substitutionibus, in quibus ponitur, nõ in alijs. Cum igitur tale grauamen sit asignatum certis personis, certi gradus, non est ad alios extendendus. His accedit, quod in substitutione filiorum masculorum, ex filiabus Petri grauamen istud imponitur filijs & descendentibus earum, quod & id ipsum facere potuisset vinculator, loquendo de filijs masculis filiarum don Ioannis, & non fecit: ergo nulla maior ratio contrariæ voluntatis ad imponendum onus hoc descendentibus ex filijs filiarum Ioannis, quam ea discretiua vocatio, & omissio verbi (descendentium) in eisdem, quod maxime

xime procedit in proposito, vbi stamus in contractu, in quo sicuti nō datur extēsio de tēpore ad tempus, ita neque de re ad rem, neque de persona ad personā, & sicuti pascicentes in fideicommisso absoluto mentionem fecerunt de descendentibus, itaquoque fecissent in con trauentionali, si voluissent. Neque obstare videtur huic sentētiæ, huiusmodi fideicommissum esse perpetuum, & in eo fuisse agnationem cōtemplatam, & bonorum indiuisibilitatem, & quod sicut inter descendentes masculos filiorum Ioannis donatarij, & Petri eius fratris, realiter & vere voluit agnationem conseruare, ita quoq; in substitutione filiorū masculorū ex filiabus Ioannis & Petri voluit, eam artificiose conseruare per impositionem oneris ferendi nomen, & arma Bardaxinorum sine mixtura, sicque id onus ex identitate rationis, & cōseruationis agnationis descendentes quoq; a filijs filiarū don Ioan nis comprehendere debere: Nam responderi posse videtur, quod nec maioratus institutio, nec fideicommissi perpetuitas, nec vnio bonorum, nec agnationis contemplacio, nec rationis identitas, efficere, quoquomodo possunt, vt onus ferendi nomen & arma sine mixtura, & pœna pribationis id non adimplentis vni personæ iniūcta, vel gra dui, ad alias personas, & gradus extendatur, nissi etiam fateri cogamur aduersus voluntatem claram disponentium, posse iudicari, eorumque voluntates infringere. Et vbi maioratus institutio, & perpetuitas disponentisque agnatio non possit aliter conseruari, quam per delationem nominis & armorū, sicque obid in hac dispositione descendentes omnes comprehendi fateremur, & cum mixtura aliorum armorum & sine pœna priuationis, & translation is possessionis in alium ipso iure, & eo non auditô, vtiq; conseruari posse existimamus. Ex quibus vbi id non ita certum & clarum fuisset, satis tamen anceps & dubitabile videtur in hoc casu descendentes ex filijs filiarum don Ioannis in onere ferendi nomen & arma prefata sine mixtura fuisse comprehensos. Ergo, & per consequens hec dubitas dufficere videbatur dicto don Ioanni de Torrellas ad non acquiescendum requisitioni per don Martinum eidem factæ, & ad excusandum eum a pena caducitatis, & ammosbionis possessionis bonorum aprehensorum in presenti processu vt ex ijs & alijs merito propositionem iurisfirmæ dicti don Ioannis de Torrellas recipiendam existimemus, repellendamque propositionem dicti don Martini de Bardaxi, & alias atten-

attent. cont. ALII VERO DVO DOMINI Locumtenente ex dictis tribus, fuerunt ex motiuis sequentibus. Ex eo, & alias, quia ex foro *A vezes*, iuxta cuius dispositionem venit terminanda causa, patet cõtra titularem, possessorem obtinere debere, si per annum & diẽ possideret adie quo sortita fuit suum effectum, & hoc in odium patientis bona ab alio possideri. Cumque in præsentiarum, don Martinus, a die quo exstimat, & proponit delatam fuisse sibi successionem ob inobedientiam, & contrauentionem don Ioannis, annus, & dies sit elapsus, præscriptione dicti fori munitum esse respectu huius processus, & articuli don Ioannem, certum est, qui non solum possessor reperitur, a die monitionis factæ, a don Martino cum expressa cõtrauentione, & nominis& insigniorum, & armorum extraneorũ nominatione & delatione, a quoplus quam quatuordecim menses sunt elapsi, vsque in diem apprehẽsionis, sed & antea, & per multum tempus semper, & continue cum publica voce, & fama, vt ab ipso donMartino articulatum & probatum existit, constat possessorem horum bonorum extitisse cum dicta contrauentione. Nec obstat quod neruose contendit, don Martinus, dictas contrauentiones tractum temporis habere, posseq; (supposito, factas fuisse; vsquè ad tempus apprehẽsionis) vti primis, vel vltimis, a quibus semper nouũ ius nascitur ipsi don Martino, cumquè reperiantur, contrauentiones intra annum, non potest ei obijcere, extra annum venisse. Hoc enim est peculiare in grauaminibus, siue contrauentionibus continuis, vt à quo cumquè grauamine, & semper possit quis appellare, non obstante, quod a die primi grauaminis sit elapsum tempus, ad appellandum: & sic de alijs exemplis in materia. Respondetur siquidem, hanc prescriptionem anni, & diei, introductam fuisse in fauorem possidentis, & in odium ipsius titularis, & per consequens ad redendam meliorem conditionem ipsius titularis, non debet esse in potestate sua, à qua, seu quibus contradictionibus, sit annus, cõputandus: Sed erit computatio facienda, prout melius, & vtilius fuerit ipsi possidentì. Quid quod, non potest negari, a primis contrauentionibus, el apsum non fuisse annum, & diem: & per consequens, illis attentis, possessorem perfectè præscripsisse, & ius perfectum habere, quo se possit tueri, aduersus titularem, in his possessorijs iudicijs: Ergo ius perfectum non tollitur, per interruptionem possessionis; quia sem-

per verum est dicere, ius perfectum, iam adquisitum, in suo robore permanere: Quod secus procedit, quandò ius, seu possessio, ex qua illud oritur, non est perfacta; quia dum est infieri, quilibet actus cõtrauentionis destruit, pręscriptionem, & eius adquisitionem. Si ergo interruptio, & etiam quod magis est, actus contrarius, non opperatur, vbi iam præscriptio est perfecta, minus considerari debet, vbi semper vsus fuerit iure; & possessione præscripta; non obstantibus interpellationibus, seu reclamationibus aduersarij: Et si ex qualibet contrauentione magis, & magis fulciatur, & iuuetur intentio illius, qui se fundat in coutrauentione, ad excludendum illum à bonis, & successione; non tamen ad destruendum ius, iuxta forales dispositiones in esse productum, & perfectum, mediantibus ipsismet contrauenionibus, esset enim alias eisdem contrauentionibus, quibus præscribitur, contra titularem, destruere eandem præscriptionem: quod quam sit rediculum, patet ad sensum. Nec nostræ resolutioni obstat, don Martinum obtinuisse cum titulo, in processu summarissimo litis pendentiæ: & per consequens ex verbis fori, *A vezes*, qui ad fauorem successorum, cum vinculis, & fideicommissis, & alijs dispositionbus fuit introductus, videtur obstare, sentencia, & res indicata vero possessori, donec fuerit victus in proprietate ipse obtinens. Cui difficultati respondetur, siquidem nec ex foro; & multo minus ex corpore iuris posse deduci, obtinentem, in summarisimo, etiam si cũ titulo, & quod de eo actũ sit in dicto proeessu, exceptionẽ rei iudicatæ habere, respoctu alter ius plenarij possessorij; quia in primo, non agitur de vera possesione, nec cognoscitur, quis sit possessor: sed tantum quis insistẽtiam rei habuerit: At in processu plenarij possessorij, iam agitur de possesione, & quis sit verus possessor, & titulus in illo primo proeessu, tantum desideratur, vt sit apparens, & in vtroque processu diuersimodè agitur; & non ita exacte disputatur res in primo, in quo non datur repulsa testium, sicut in secundo, vt ex nostris foris deducitur expresse, & pasim in ore nostrorum practicorum est processus apprehensionis, seu sequestri diuidi in tres partes. Primam dicunt esse processum litispendentiæ, seu sumarij possessorij: Secundam, processum iurisfirmarum, seu plenarij possessorij: Tertiam vero & vltimam, processum proprietatis, & ab anno millesimo quatuorcentesimo trigesimo sexto, vsque adhuc, in quo fuit æditus forus *A*

vezes

vezes, nunquam fuit à nostratibus auditum, obtinentem virtute dicti fori, in summarisſimo, habere rem iudicatam, respectu secundi processus plenarij possessorij, & semper in practica fuit, de vno, ad alium processum, posse migrare. Ex quo infertur, non sine lege fuisse, quod ita diu in practica habitum fuit. Nec argumentum factum a don Martino placuit, quod est tale. Forus: *A vezes*, & si, in sua æditione æditus fuerit, respectu processus iurisfirmarum, & sic plenarij possessorij, fuit tamen eius dispositio, postea practicata etiam in summarissimo processu, apud nos litis pendentiæ nuncupato: Ergo quidquid reperitur in dicto foro dispositum, erit etiam dispositum in processu summario. Sed inter alia, quæ disponuntur est quod obtinens, debet manuteneri, donec fuerit victus in proprietate ibi: *Entro, a que sobre la propriedad, sea judicialmente vencido*: Ergo habet exceptionem rei iudicatæ. Libuit enim animaduertere, ex isto silogismo non elici, obtinentem in summarissimo, habere rem iudicatam, respectu secundi articuli; & si possit elici, obtinentem in summarissimo, defendendum, & manutenēdum esse, donec fuerit in proprietate victus, diuersa enim, intersese, sunt: Primum enim impedit litis ingressum, & alios habet effectus; Secundum verò tantum respicit finem processus plenarij possessorij, volens, quod si non deffecerit, qui obtinuit in summario, in probationibus, & alijs, quæ in ista parte processus apprehensionis requiruntur, sit manutenendus, in præsenti casu, respectu dō Martini de Bardaxi: nec ex dicta argumentatione, & verbis fori elicitur exceptio rei iudicatæ; nec dispositio, quod ex eo, quod obtinuit in processu litispendentiæ, debeat obtinere, donec fuerit in proprietate victus: quod, euidenter patet; dispositio enim foralis est, quod veniens cum titulo, possit obtinere, contra actualiter possidentem in iudicio possessorio; Progreditur autem vlterius, & regulæ positæ, subnectit limitationem in hunc modum: *Si no es que aquel que primero ocupò la possession aya posseydo los ditos bienes, sin contradicion de aquel, que pretende auer dreyto en aquellos, por tiempo de vn año cōtadero, del tiēpo que de la muerte del posseydor de los ditos bienes, fue publicamente sabida en los lugares, en do son los bienes sitiados, cà, la hora el posseydor deue ser defendido en su possession, entro que sobre la propriedad, sea iudicialmente vencido.* Ex his verbis, liquidissime apparet, manutentionem, quousque fuerit victus, in proprietate concedi nō venien-

nienti cum titulo, sed tantum cum possessione, anni, & diei: Ergo respectu obtinentis cum titulo, nihil fuit innouatum, voluerunt enim disponere, contra titularem patientem, bona per annum, & diem possideri ab alio, manuteneri ex dicta præscriptione in omni possessorio, dictum possidentem. Nec fulcitur sententia don Martini existimantis, hoc idem comprehensum fuisse in dispositione generali: Nam verba supra relata, reperiuntur in exceptione facta, ad dispositionem & regulam; at exceptio est de contentis, sub regula: Ergo id iam erat dispositum in generali dispositione. Hoc argumentum est fallax: nam quod ex illo sequitur est, exceptionem non posse fieri, nisi de contentis in regula; sed non sequitur, quidquid ponitur in exceptione, erat comprehensum, sub regula. Exceptio enim, semper debet esse de regula; at si aliquando per viam exceptionis, aliquid ponitur, quod non sit de regula: tunc aut est noui iuris inductiuum, vel tanquam impertinens, reijcitur. Et sic si illud, quod disponitur, respectu possessoris, est exceptio, reijcienda erit, tanquam impertinens, quia non erat comprehensum id sub regula, quæ tantum fuit disponere, titularem debere obtinere cum titulo, contra actualem possessorem, propria exceptio huius regulæ fuit, excepto, si possessor possederit per annum & diem: quidquid vltra hoc reperitur, vel tanquam non comprehensum sub regula, est reijciendum, vel est dicendum nouæ dispositionis inductiuum esse. Si vero noua est dispositio, cum facta fuerit respectu possidentis per annum, & diem, & in odium titularis, quidquæso opitulabitur titulari, in cuius odium fuit introducta; exceptio enim numquam extendit casum, alias sub regula non comprehensum ad quod dignoscendum hæc sit regula, si non opposita exceptione, sed remanente regula sola, non comprehendit casum, qui nunc reperitur in exceptione; nunquam erit de regula. Videamus modo, an in dispositione dicti fori, exclusa exceptione, an esset compræhensum, titularem obtinentem, in summarissimo, esse manutenendum, donec fuerit victus in proprietate; nihil minus, ergo non extendit dictam dispositionem exceptio proposita. Præterea vt dictum est, & pars don Martini fatetur, ille forus disposuit in sui editione, respectu processus iurisfirmarum plenarij possessorij, nempe ex quo elicitur quod ratione processus, super quo cadebat dispositio, cum alius, nó

esset expectādus, præter processum proprietatis, disposuit, obtinereque debere, possessorem anni, & diei, *hasta que sea vencido en la propriedad,* & in hoc sensu, idem quoque erit respectu obtinentis in illo articulo, cū titulo: Quia nullus alius expectatur processus, præter processum proprietatis, at cum postea fuerit respectu obtentionis, tantum practicatus dictus forus in summarissimo, non est ex dicta practica inducendum, sublatū fuisse processum plenarij possessorij, quia diuersa est ratio dispositionis, respectu subiecti, cui nunc adaptatur; esset enim repugnantibus regulis fori, & iuris vnico verbo omnes destruere, per admissionem duorum specialium: primum, quod obtineret in summarissimo: secundo, quod remoueretur articulus plenarij possessorij, & alias attent. conten. ALII VERO duo Domini Lucum tenentes dicti Domini Iustitiæ Aragonum fuerunt voti, & opinionis, quod debet pronuntiari & recipi propositionem iurisfirmę in præsenti processu oblatam, pro parte don Martini de Bardaxi prin. Hie. Abeña. Do. Adrian. L. Marin, & F. Arbus proc. sub fideiussoribus præstitis, & alijs arbitrio nostro præstandis, cæteras propositiones reijciendo, & repellendo, neutram partium in expensis condemnādo, cætera supplicata locū non habere, attent. conten. EX EO, & alias recipitur prædicta propositio iurisfirmæ dō Martini de Bardaxi, prin. dictorum proc. nam & si don Martinus de Bardaxi, nō haberet (prout habet) alium titulum, aliamuè possessionem, præter quæsitam, virtute sententiæ diffinitiuæ latæ in eius fauorem in processu litispendentiæ, ea suficit ad obtinendum, quoniam vel dispositio fori *A vezes, de apprehensionibus,* porcedit respectu summarij possessorij tantum, & obtinuit don Martinus, iustificauitque suam possessionem ex pactis dotalibus Io. de Bardaxi, & Serenæ de Moncayo, initis die vigesimo tertio Februarij, anni millesimi quadringentesimi qnadragesimisexti, per varias contrauentiones legitimè probatas, & incursas a don Ioanne de Torrellas, post sibi factam intimationem, & requisitionem; quarum ratione translatum est dominium, & possessio penes don Martinum, postquam elegit maioratum *de los Bardaxis,* & bona illius apprehensa: aut procedit prædicti fori dispositio in plenario possessorio prout intendit don Ioannes, & adhuc succumbere debet, quoniam tam in hac Curia, quam in Regia Audientia de materia & requisitis eiusdem fori actum est, & secun-

dum eius dispositionem iudicatum, ex quo infertur illi obstare exceptionem rei iudicatæ: quæ non solum opponi potest per viam dilatoriæ, sed per viam peremptoriæ exceptionis, at hic ad merita opponitur a don Martino cõtra don Ioannem, quæ procedit, nam cum iam fuerit victus, iuxta dispositionem prædicti fori *A vezes*, in summario possessorio manuteneri debet don Martinus in possessione vsquè dum vincatur in proprietate, ita insinuant verba fori ibi, *E a la hora el Posseedor deue ser defendido en possesion, entro a que sobre la propriedad sea judicialmente vencido*: Quibus apertê stabilitur semel positum in possessione bonorum apprehensorum, in ea permansurum, quousquè in proprietate vincatur; ergo & in præsentiarum conseruari debet in ea, siquidem iam actum est in litependente de possessione titulo iustificata, quod erat per agendum in plenario hoc possessorio, vt sic concurrentibus tribus requisitis necessarijs, vt procedat exceptio rei iudicatæ, admittenda sit. Quod autem cõcurrant, patet: quoniam partes sunt eędem, bona eadem, & causa siue modus agendi, idem. In quo licet primo intuitu, difficultas proponatur: Ex quo, articulum iurisfirmarum, & plenarij possessorij ad diuersum finem & effectũ tendit, scilicet ad possessionem titulo iustificatam, articulus vero litispendentiæ, & summarij possessorij; ad violentam etiam, & nullo titulo munitam possessionem; cùm tamen modus agẽdi idem sit, quod causa agendi, & allegata à don Martino, in dicto processu litispendentiæ, & quæ in propositione iurisfirmarum proponitur, eadem sit, & proposita a don Ioanne in illo processu, & quæ in hoc deducitur, similiter sit eadem, merito obstabit exceptio rei iudicatæ: Quia, quãdo iudicium venit ad rescissionem eius, quod in primo est determinatum, obstat; sicut, quando in secundo iudicio examinatur id, quod iam fuit decisum in primo: Ne quis eisdẽ follibus, & malleis eundẽ incudẽ tundat, præcipue in his possessorijs interdictis habentibus ad mixtã causam proprietatis, in quibus quidquid detrahit proprietati detrahit etiã possessioni, & sic militante in vtroq; iudicio, eadẽ ratione, & origine petitionis, licet actio sit diuersa: si tamen medium concludendi est idem, recurrendum est ad iudicium petitorium, & causa minime agitabitur in possessorio, super quo iam plene est cognitum, per iustificationem possessionis, cum titulo, quæ iustificatio non erat necessaria, nisi ad hunc singularem effectum. Ex quo infertur, quod

cum

cum dispositio dicti fori *A vezes*, fuerit recepta & extensa, ad articulum litispendentiæ, licet originaliter procederet in articulo iurisfirmarum, taliter, quod ante eius æditionem, titulatus contra detentorem bonorum obtinere non poterat; hodie tamen obtinebit docto de titulo, si intra annum & diem veniat, obtinente autem titulato, vt obtinuit don Martinus, reus efficitur, consequutusq; fuit finem principalem, ad quem inducta fuit fori prædicti extensio: Ergo don Ioannes assumere debet dispositionem prædicti fori, cum suis spinelis; videlicet, quod quando iam actum est in lite pendente, de possessione iustificata, qui succubuit in ea, succūbere etiam debet vsque ad proprietatem. Nam, sicut certum est, quod si quis reportat sententiam in processu iurisfirmarum, vel plenario possessorio permanet in sua possessione, vsque dum vincatur in petitorio, aut proprietate: ita certissimi iuris esse debet, quod quando reportat in summario, in quo deduxit titulum iustificatum: Quia cum prædictus forus declaratiuus fuerit, & modificauerit dispositionē fori *ad nostrum. de Apprehensionibus*, fauore vinculorum, si ille procedat cum præiudicio pleno possessionis, reseruata partibus proprietate, idem fateri cogimur in sententia lata in summario possessorio, iuxta forum *A vezes*: cum constitutio declarans, debeat intelligi retentis terminis legis declaratæ. Reseruatio autē quæ fit in prouisione appellitus illis verbis, *Saluo iure partium, super possessione, & proprietate*, intelligitur de possessione non obiectata, & de qua non est cognitum, siue tractatum in eo processu, vel quando aliquid supperadditur in plenario possessorio, ad detrahendum de illa; secus, quando nihil, vel quando in specie non est proposita rei iudicatæ exceptio, quo casu progreditur ad instar exceptionis litispendentiæ; qua non opposita proceditur in cognitione causæ, cum censeatur renuntiata; sicque illa reseruatio, non erit frustratoria, sed operabitur hos, & alios effectus; nec exemplaria, quæ obijciuntur in contrarium mouent: Quoniam, ea omnia in simplicibus terminis procedunt, scilicet, quando in litependentē non est cognitum de possessione, titulo iustificata, & iuxta terminos prædicti fori *A vezes*, vt in præsenti, quibus casibus nihil mirum, si postea in articulo iurisfirmarum ageretur de iustificatione, aut in iustificatione possessionis, super qua, nec actum, nec cognitum fuit. Quibus non obest sententia arbitralis à don Martino, in præsenti

pro-

processu exhibita, per quam apparet, don Ioannem Fernandez de Heredia tres habuisse filios, quorum deficientia, nec eorundem successorum, nec allegata est, nec probata: Et sic per eam videtur exclusus præfatus don Martinus. Nam cum illa sententia lata fuerit, die decimo tertio mensis Aprilis, anni millesimi quingentesimi quarti, transacti sunt, plusquam centum anni, quibus præsumitur, quemlibet viuere: quo casu, non est necessarium allegare mortem, aut deficientiam, quia lex quæ præsumit, quem viuere centum annis, eis transactis, præsumit decesisse, absque aliqua allegatione, quod fortius procedit, nulla contraria probationi facta à don Ioanne, quod adhuc viuerent. Quid quod? linea don Ioannis, & don Martini, eadem cum sit respectu illorum, cumque iam don Ioannes allegauerit, se possedisse dicta bona, per tempus quadraginta annorum præscripsisse, cōtra alias lineas, quas ignoramus existere, dicendum est: Quæ præscriptio opitulabitur etiam don Martino alleganti, & probanti, se proximiorem, tanquam de linea don Ioannis, qui actor cum sit in hoc processu, semelque fuerit victus eisdem titulis, eademque possessione, non potest opponere hanc de iure tertij exceptionem; de qua saltem contra ipsum tuebitur don Martinus, per reportatam sententiam litispendentiæ, ac si eam reportasset in articulo firmarū, ad effectum, manutenendi eum in possessione, vsque dum in proprietate vincatur. Et interim don Martinus licet alio titulo non se includeret, nisi solum, cum sententia obtenta, tanquam reus posset exceptione se tueri. Quod autem illa rei iudicatæ exceptio ad merita causæ sufficiēter, & prout expedit de iure & foro, opposita censeatur, non est ambigendum; quippe in exordio, & introitu propositionis iurisfirmę oblatæ, pro parte don Martini de Bardaxi expressis, & disertis verbis, scriptum, & allegatum legitur, quod proponuntur ab eo exceptiones peremptorię, eidem don Martino pertinentes, & deinde in multis ex articulis prædictæ propositionis iurisfirmæ exprimitur, & narratur factum, in quo consistit intrinseca rei iudicatæ exceptio: & ita, tam in viam iuris, quam fori, recte opposita intelligitur ad merita causę. Nec obstat quod per viam dilatorię videri possit opposita ab eodem don Martino de Bardaxi: Nam esto, quod de tali oppositione exceptionis per viam dilatorię appareret, deinde tamen, non obstante illa succumbentia, potuit vtiquè per viam peremptorię exceptio-

tionis, iterum ab eodem don Martino proponi, ad merita cauſæ: Et ſic de ea poteſt, & debet nunc haberi, prout habetur ratio,& conſideratio; ita quod obſtante dicta exceptione rei iudicatæ, prout re vera obſtat don Ioanni de Torrellas, ſuccumbere neceſſario debeat prædictus don Ioannes de Torrellas, & aliàs attent. conten. ET VNVS ex dictis duobus Dominis Locumtenentibus, vltra prædicta motiua, fuit ex motiuis ſequentibus. Veruntamen quamuis fateremur, minime obeſſe don Ioanni rei iudicatæ exceptionem, adhuc tamē ſeruata fori prædicti *A vezes*, regula, ſuccumbere debet; ex quo enim in dictis tabulis dotalibus, modus, conditio, ſiue grauamen, gerendi nomen, & arma, *Bardaxinorum*, ſine mixtura appoſitum fuit, de quo claram, certam, & ſpecificam notitiam, & ſcientiam habuiſſe don Ioannem, per interpellationem ſibi, a don Martino factam compertum eſt, grauamen hoc non momentaneum, ſed ſucceſſiuum, & perpetuum reputatur, & quamuis conditio momentanea, momento finiatur, ſecus conditio ſucceſſiua, quæ tempore, & quocumquè tempore adimplenda eſt: non ergo ſufficit hoc anno grauatum gerere cognomen & arma, ſine mixtura; nec id vnico anno præſtare, ſed ſemper debet præſtare, veluti in eo, qui tenetur viduitatem ſeruare, aut alimenta præbere, & in alijs conditionibus, quæ perſeuerantiam, & continuationem requirunt, in quibus momentanea aſſumptio nō eſt in conſideratione, ſed continua, & perpetua, & ſic don Ioannes, hac conditione grauatus, quocumque tempore, & quacumquè occaſione, nomen, & arma de *Bardaxi*, ſine mixtura portare tenetur, & cōtrafaciens cōmittit moram & culpam, à qua de nouo cōputatur tempus à lege præſcriptioni conſtitutum; quia in his ſucceſsiuis grauaminibus non principium, & medium inobedientiæ, ſed finis conſideratur, ſicut in delictis continuatis, ſuper quibus, ſi adſit ſtatutum, quod eorum actio præſcribatur, ſi intra annum non proponatur, annus non computatur, a die primo cōmiſſi criminis, ſecundo vel tertio, ſed ab vltima cōmiſſione eiuſdem delecti. Quod itidem apparet in grauaminibus ſucceſſiuis, à iudice illatis & in prohibito alienare, in quo licet aduerſus primam alienationem obſtaret præſcriptio annalis; ſi tamen ſecundo, vel tertio alienauit præſcriptio perfecta, contra primam alienationem non operabitur contra ſecundam, vel tertiam: Hac etiam ratione, & theorica accommodatur exemplum.

F Velu-

Veluti, si quemadmodum in nostro casu appositum fuit grauamen, ferendi nomen, & arma, apponeretur grauamen, soluendi centum Hospitali, vel Monasterio singulis annis, cum pœna priuationis hæreditatis, & translationis bonorum in alium, si hæres non soluat, vel adimpleat, si duobus primis annis non soluat, eis remissis, & transactis pro cessatione alterius anni exequatur pœnam cessationis, quia pro qualibet ex his contrauentionibus, & cessationibus est necessaria singularis pręscriptio, sicut pro qualibet ex pensionibus annuis tributorum, censuum, vel redituum, cum in his promissionibus, legatis, vel alijs obligationibus, quæ dationem per singulos annos, vel menses, aliquod singulare tempus continent, tempora memoratarum præscriptionum, non ab exordio talis obligationis, sed ab initio cuiuscumquè anni, vel mensis, vel alterius singularis temporis computari manifestum est. Vnde licet, ex primis contrauentionibus liberaretur don Ioannes, excluderetur què don Martinus ex præscriptione dicti fori: Secus, respectu aliarum contrauentionum, quæ reperiuntur intra annum, licet ex quo ab initio competit, & semel nata est actio, & non iteratis fabulis sæpe recreata; quemadmodum in furti actione quæritur negatoria ipsi domino. Nam cum tot sint huiusmodi præscriptiones, quot sunt actiones, & ita licet sit præscriptum negatoriæ natæ pro primo actu, secundo, vel tertio; tamen non est præscriptum pro alijs, & potissime pro præsenti; ex quibus clare respondetur argumento desumpto de eo, qui vult acquirere ius immittendi tignum in alienum parietem, mediante præscriptione, quod si ad eum effectum incipiat hodie immittere tignum, & cras iterum immittat, & sequentibus etiam diebus animum immittendi, tignum prosequatur; immittendo etiam illud, cum effectu; licet diuersis, & varijs diebus, plures, & diuersæ factæ fuerint immissiones tigni in alienũ parietem: Præscriptio tamen ab illo primo actu missionis tigni incepit, & aliæ missiones post primam interuenientes, & subsequẽtes, tametsi diuersæ ab illa priori, & tendunt, in confirmationem illius prioris actus, à quo præscriptio initium suum, & principium accepit. Et similiter, si quis admonuit, ne officias luminibus meis; aut ne aperias fenestram, & tu illo sciente hodie, mane, & indies, & quotidie, luminibus officis, & fenestras aperias; ita quod à die, admonitionis, tempus legitimum effluxit, ad legitimam præscriptionem complendam, quamuis

ij actus sint successiui, præscriptio à primo actu computabitur, non à posteriori: in his etenim, & alijs similibus, veluti etiam in furti actione currit præscriptio à primo actu. Quia ab eo principio vnico originaliter actio dimanat, qua non proposita præscribitur: Secus vero, quando á quolibet actu, diuersa actio oritur, vt in his grauaminibus successiuis, in quibus à quolibet actu dimanat vnica actio; & sic præscripta vnica actione, & postea subsequta alia, quamuis prima præscribatur, secunda permanet, & ab ea potest quis experiri. Ex quo applicando hæc præsenti disputationi, & casui, quamuis adessent probatæ plures anteriores contrauentiones, ante oblatam apprehensionis, illis renuntiatum fuisse â don Martino, possumus affirmare. Attamen, ex postea subsequtis posse agere, intra annum fateri, astringimur, vt directo don Martinus intra annum, iuxta decisionem fori *A vezes*, veniat, & obtineat, præcipue in hoc processu, in quo solum proponuntur cõtrauentiones à dõ Ioanne incursę intra annũ. Prima scilicet, sub die vigesimo quarto, & vigesimo nono Februarij: secũda, sub diebus duodecimo, vigesimo, visimo nono Marcij: tertia, sub diebus vigesimo, vigesimo nono, & trigesimo Aprilis: quarta, sub diebus vndecimo, vigesimo primo, & vigesimo octauo Maij: quinta sub die duodecimo Iunij: sexta, sub diebus sexto, & vigesimo septimo Septembris: septima, sub diebus decimo quinto, & decimo septimo Decembris, anni millesimi sexcẽtesimi duodecimi, quæ omnes existunt, ante apprehensionem, cuius oblata fuit proposita sub die decimo nono Ianuarij; anni millesimi sexcentesimi decimi tertij: & quæ sufficiunt ad inducendam priuationem bonorum, & translationem eorundem, in don Martinum. Quoniam, & si aliæ existerent, excedentes annum, & de quibus potuisset habere notitiam don Martinus, vel eas remissit, interpellando don Ioannem, vt de cętero obseruaret grauamen, vel post interpellationem, eas ignorauit don Martinus: Quia, cum don Ioannes, post prædictam admonitionem potuisset obedire, aut se habere, mere passiuè, vel negatiuè, ignorante don Martino, aut don Ioanne, non contraueniente, non habebat ius & causam; vt posset eundem conuenire, aut ex contrauentionibus, vel non incursis, vel publice non scitis apprehendere: Ex quo, parum opitulabitur don Ioanni, confessio facta à don Martino in prædicta requisitione, in qua dicit, semper don Ioannem contrauenisse. Quia

præ-

præter quamquod finis, & principale intentum prædictæ requisitionis fuit, vel certioratio obligationis don Ioannis, vt de cætero non posset allegare ignorantiam eiusdem, vel ad facultatem electionis vtriusque Maioratus, vt scilicet eligeret, quem ex eis maluerit: prædictica confessio intelligenda est ciuiliter, & quoad animi destinationem, cumque nulla alia proponatur, nisi illa, quæ incepit à prædicto die vigesimo quarto Februarij, anni millesimi sexcentesimi duodecimi; omnes autem aliæ, quæ extra annum deduci possunt, vel in hoc processu non probentur, publicé scitæ, vel quando probentur, eis fuit renuntiatum. Nec ex dictis potuit oriri præscriptio, tum ex supra dictis, & ponderatis: tum etiam, quoniam ex eis, tum demum oriretur, præscriptio, si ex eisdem interuersa fuerit, à don Ioanne causa possidendi, videlicet, si docto de titulo, & obligatione per præsentationem dictorum pactorum dotalium, ex quibus iniunctum sibi grauamen detegebatur, respondisset eis non obstantibus, & contra ea, se vocaturum Torrellas, & reportaturum eadem stigmata: Hoc etenim casu, inciperet currere præscriptio, contra obligationem ei apertam, & intimatam. Et tunc, interuerteretur causa possidendi à causa externa, & intrinseca, scilicet, à declaratione propriæ voluntatis, quæ necessaria est ad interuertendam causam possidendi: at secus hic, vbi licet animi destinatio, & voluntas interuertendi adesset in don Ioanne non sufficiebat. Quia necessarium erat, quod don Ioãnes, vel quando fuit interpellatus, vel postea explicaret, & declararet, se nolle obtemperare, vel obedire præcepto, & grauamini iniuncto in dictis tabulis dotalibus, mutando causam possidendi. Quod quam alienum fuerit ab eius respõsione, indicant verba eiusdem, ibi: *Que no auia contrauenido, ni contrauenia, ni de alli adelante contrauẽdria a cosa, a que estè obligado, &c.* Ex quibus potius intentum obtemporandi, quã contraueniendi colligitur, quid mirum si à don Martino post prædictam admonitionem, expectarentur contrauentiones postea subsequutæ; ex quibus agit, & quod confessio illa intelligatur semper, & continuè contrauenisse: hoc est quando casus euenit, qui postea declaratur per propositas contrauentiones publicè scitas; quarum prima incepit à prædicto die vigesimo quarto Februarij: Ex qua & sequentibus, & ex multis alijs contumatia don Iaannis, ne dicam pertinatia in non obediendo declaratur, præter actus celebratos ab eo

ante,

ante, & post sententiam, contra eum latam in lite pendente, vt ex his omnibus, & alijs merito, & priuatus sit his bonis, & ita declarandus. A quo non debet excusari, ex duplici consideratione subtili; licet non secura. Prima ex inualiditate instrumenti pactorum dotalium eidem præsentati, ex quo inualida, inutilia, & insolemnia eidem fuere præsentata: Secundo, quia & si solemnia extitissent, adhuc tamen don Martinus, per ea non includitur, cum grauamen ferendi nomen, & arma non sit appositum lineæ don Ioannis, sed lineæ quondam dō Petri de Bardaxi, à quo non extare descendentes ex processu compertum est. Quoniam breuiter dicimus, ea instrumenta pactorum dotalium solemnia apparere, & præsumi ex multis, ad inducendam hāc solemnitatem deductis in eodem processu litispendentiæ, super quibus fuisse disputatum, & cognitum: Ex eorum antiquitate, ex qua præsumitur solēmnitas, præcipue cum de vitio latenti non appareat, habeātq; omnes solemnitates à iure & foro requisitas, scilicet diem, mensem, annum, testes, rogitum, locum, calendarium, & duas primas lineas propria ipsius leuantis manu scriptas, & similiter signum, quo in similibus scripturis vtebatur, qui extraxit illud instrumentum vt sic nihil substantiale deficiat, præsertim cum fuerit leuatum Iudicis authoritate, pro quo præsumitur, quod habeat omnia requisita ad sui validitatē, & ad probationē eorum, quæ in eo cōtinentur, cum quo legitimè fuisse certioratum D. Ioannem, dicendum est, nulla ab eo proposita exceptione cōtra dictū instrumentum, quod intrinsicè, & extrinsicè apparet publicū instrumentū, multis, varijsque verisimilibus alijs instrumentis, & documentis roboratum, ex processu litispendentiæ resultantibus. Et tandē idem instrumentū publicū horū pactorum dotalium expenditur, leuatum per Petrum Martinum del Rio Notarium, ac Regentē vnam ex Scribanijs huius Curiæ, qui mādato legitimo præcedente extraxit in publicam formam, à processu *Ioannis Mir, super manifestatione scripturarum*, tanquam de nota originali Arnaldi Carui rogati; quæ sententia, & mandatum, tanquam iuri & foralibus dispositionibus consonum, per Regiam Audientiam concordi voto fuit confirmatum, vt sic hoc solū instrumētum, absq; alijs adminiculis plenissimam fidem faciat, tanquam habens omnia requisita substantialia à foro desiderata, & ex quo, & alijs demonstrationibus notoriè apparuisse, don Ioanni de eius obligatione, & gra-

uamine dicendum sit. Quod quidem instrumentum ab hac Curia leuatum, non solum operabitur suos effectus, contra oppositos in hoc processu manifestationis, sed contra quemcumque alium, etiam non oppositum, exclusa collusione, & fraudibus. Nam, cum is processus ventilatus fuerit, cum legitimo contradictore, realisq; sit, nocebit quibuscumque extractio facta, virtute sententiæ in eo latæ, secundum veriorem, æquiorem, & communiorem Doctorum censuram. Alias etenim inutilis esset effectus manifestationis inductæ, ne ocultentur, vel falsificentur scripturæ manifestatę. Ex quo quidem instrumento satis apparet inclusio don Martini, cum in eo expresse vocentur proximiores illius, qui contrauenit dispositioni illorum, qualis fuit don Ioannes; at don Martinus probatur in processu proximior ex vocatis, post contrauentionem incursam à don Ioanne: Minimê refragante, quod in vocationibus filiorum Ioannis deBardaxi objiciatur, non fuisse appositum grauamen ferendi, nomen, & arma, sine mixtura: sed solum in filijs primi gradus, filiarum eiusdem, quasi omnia verba relatiua, quæ reperiuntur in his clausulis, videantur adaptari, quoad substutionem, & vocationem actiuam ad filios, & descendentes filiorum, ac filiarum donatarij, & quod grauamen ad filios primi gradus filiarum, non ad agnatos, nec ad descendentes Ioannis, cum non sit onus reale, nec videatur respicere, nisi personas, ac lineam primi gradus, quod etsi admitteretur in fauorabilibus, secus in pœnalibus, & odiosis, vt est priuatio bonorum, & possessionis eorundem; Quod quando voluerunt pasciscentes id effecerunt, sicut in linea Petri, & eiusdē successorum, verbis sequentibus: *Et en caso que otros fillos del dito moßen Iuan de Bardaxi no y de aura, o sin de aura, contescera los ditos fillos, o los descēdientes dellos morir, en manera, que no y de fincaßē descendientes delosditos otros fillos del dito mossen Iuan, en el dito caso, los ditos Castillos y lugares sean, finquē y tornen a los fillos masclos legitimos, & de legitimo matrimonio procreados, de las fillas del dito Iuā de Bardaxi, & de los descendientes dellos, de mayor en menor, en la manera, è forma, & con las calidades, modificaciones, è retenciones de suso ditas, & que de la parte de suso es ordenado en el dito Iuan de Bardaxi, & descendientes del: Con tal, empero manera y condicion, que el dito fillo de la dita filla del dito Iuan de Bardaxi, que sucedera en los ditos bienes, lleue las armas dreytas de Bardaxi, è aya a nombrarse, è se nombre de Bardaxi, sin mixtura alguna: & do lo sobredito no fiziesse, que venga enel segundo fillo masclo de la dita filla*

filla del dito Iuan de Bardaxi, con la dita condicion, è carga, è aſsi ſucceſsiuamẽte en los otros fillos de las fillas del dito Iuan de Bardaxi, de vno en otro, ſeruando orden de genitura. Quieren, empero que los fillos maſclos de la primera filla, ſi en de aura, ſian primeros en el grado de la ſucceſsion de los fillos de la ſegunda: Et aquello miſmo ſe ſerue en los fillos de los otros, ſi ende auran, ſeruando las formas, è calidades de ſuſo pueſtas, è ordenadas: Et en el caſo que no y de aura fillos maſclos de las fillas del dito Iuan de Bardaxi, que en el dito caſo los ditos Caſtillos, ſean, tornen, & finquen, de & a los fillos maſclos de las fillas del dito Pedro de Bardaxi, è, a los deſcendientes dellos por recta linea, maſclos legitimos, & de legitimo matrimonio procreados, es a ſaber, de mayor en mayor, ſeruando entre ellos orden de genitura, & en la manera, è forma, & con las calidades, è modificaciones, è retenciones de ſuſo ditas, & que de la parte de ſuſo es ordenado en el dito Iuan de Bardaxi, & deſcendientes del, & con la manera, condicion, & carga de auer de lleuar las armas, è ſobrenombre de Bardaxi, ſin mixtura alguna, ſegun de ſuſo largamente es recitado. Ex quibus non obſcure colligitur, paſciſcentes expreſſe Maioratum perpetuum, fideicommiſſum graduale, & ſucceſſiuum, familiamque *Bardaxinorum*, & agnationem eiuſdẽ conſtituere, & conſeruare voluiſſe, in fauorem omnium maſculorum per rectam lineam deſcendentium, ab ipſo don Ioanne contrahente, cum Serena de Moncayo : & in eorum defectum, in fauorem ſimiliũ maſculorum, deſcendentium a don Petro fratre don Ioannis. Quibus non extantibus, eundem maioratum conſtituerunt, fauore maſculorum deſcendentium, ex filiabus don Ioannis; in quorum defectum vocantur etiã maſculi deſcendentes ex filiabus don Petri, qui omnes ſuis in caſibus vocantur, cum qualitatibus maioriç, & alijs, quibus additur in lineis maſculorum deſcendentium ex fœminis vtriuſque fratris grauamen ferendi nomen, & arma *Bardaxinorum*, ſine mixtura addita pœna priuationis, in fauorem ſequentis in gradu. Vnde licet, in clauſula, vbi hoc grauamen imponitur, non adſit verbum *Deſcendentes*, ſub nomine collectiuo *Deſcendentium*, ſed ſub nomine appellatiuo *Filiorum*, eandem vim, & ſignificationem habet, ac ſi deſcendẽtes grauati eſſent: Quoniam, his verbis vſi ſunt, contrahentes ſinonimè; & ita per inde eſt, ac ſi grauamen impoſitum, fuiſſet iniunctum omnibus deſcendentibus. Quod autem hoc in caſu ſinonime ponatur verbũ *fillij*, & verbum *deſcendentes*, patet ad ſenſum. Nam poſtquã contrahentes vinculantes in verſiculo; *Et en el caſo que otros fillos, &c.* vocarunt

filios

filios masculos filiarum, & descendentes illorum, de maiori in maiorem, addunt illa verba: *Con tal, empero manera, & condicion, que el dito fillo de la dita filla del dito Iuan de Bardaxi, &c.* Ex quibus, litera clara euidens, & quæ nulla potest tergiuersatione celari, apparet, ad demonstrandum grauamen impositum fuisse, non solum filijs primi gradus, sed etiam vlterioribus descendentibus. Item, & quod sinonime sumantur hæc verba, colligitur ex versiculo: *Con tal, empero,* in quo exprimitur grauamen nominis, & armorum: In quo versiculo, licet solum nominẽtur filij; tamen adiungitur qualitas actualis successionis, ibi: *Que suceyra en los bienes*, vbi grauamen imponitur, quia succedit: Ergo cum hæc ratio militet in omnibus, colligitur, descendentes, de quibus non potest dubitari, quod fuerint vocati, fuisse grauatos, vt indicant illa verba: *Et assi successiuamente en los otros fillos de las fillas del dito Iuan de Bardaxi, de vno en otro, seruando orden de genitura.* Nã ille ordo successiuus, necessario intelligitur inter filios, nepotes, & alios descendentes: Quoniam, cum in vocatione actiua filiorum, & descendentium ex fœminis, certum sit, contineri ordinem, succedendi cum prælatione filij natu maioris, & suorum descendentium, de vno in alium, de maiori, in minorem: Ita, vt filius secundo genitus ex filia, nõ sit vocatus, nisi in defectum primogeniti, & suorum descendentium, ibi: *De mayor en menor.* Quod non solum in filijs primi gradus, sed in vlterioribus expresse dispositum est; quod magis declarantes, contrahentes, & vinculantes, id exprimunt in versiculo: *Quieren empero,* quo cauetur, *que los fillos masclos de la primera filla, sin de aura, sean primeros en el grado de la successíon de los fillos de la segunda.* Quæ verba, absque dubio sunt intelligenda in vocatione actiua, ibi: *Sean primeros en el grado de la successíon,* & non possunt, nec debent coarctari, & limitari, ad filios primi gradus, vel quia repugnarent dispositis in superioribus, vbi loquitur de filijs, & descendentibus vocatis: Vel etiam, quia esset magnum absurdum, quod filij primi gradus, tantum præferentur, & quod in vlterioribus descendentibus, non idem procederet: Et sic clare demonstratur, pro eodem accepisse, verbum *filij,* & verbum *descendentes*; igitur, si pro eodem summũtur filij, & descendentes, & grauamen delationis nominis, & armorum impositum fuit illis; debet etiam censeri, impositum descendentibus, non solum ex vi rationis, sed ex verbis relatiuis, & repetitiuis, ibi: *Seruando las formas, y calidades*

de su-

de ſuſo pueſtas,e ordenadas. Quia, cum in parte ſuperiori impoſitum ſit grauamen delationis nominis,& armorum in filijs maſculis, ex filiabus,ex vi relationis repetitum cenſetur in omnibus deſcendentibus: ne inutiliter apponantur illa verba,*ſeruando las formas,&c.* Quæ confirmantur ex verſiculo: *Et en el caſo, que no yde aura fillo maſclo, &c.* In quo,ad introductionem,& vocationem filiorum,& deſcendentiũ maſculorum, ex filiabus Petri de Bardaxi, ſolum poſuit in conditione filios maſculos,filiarum Ioannis, nulla mentione facta de deſcentibus; quamuis in præcedentibus verbis exiſtant vocati. Ex quo, neceſſario eſt fatendum,ſenſiſſe vinculantes, quod ſub illa conditione deficientiæ filiorum,contineantur omnes deſcendentes: vel ſaltẽ eſt dicendum, quod extantibus nepotibus,vel pronepotibus deſcendẽtibus,ex filiabus Ioannis,nullo ſuperſtite filio primi gradus, debent præferri filij,& deſcẽdentes maſculi ex filiabus Petri,quod eſſet contra mentem,& expreſſa verba dictorum contrahentium, ſatis in præcedentibus explicata,& ex conſequenti,aſſerendum eſt verbum,*filij,* promiſcuè,& ſinonime accipi,pro deſcendentibus ad euitandam expreſſam repugnantiam,cum in alijs partibus clauſulæ pro eodẽ ſummantur: Quod quando non ita procederet(vt procedit)nec verbum *filij, & deſcendentes,* promiſcuè, & ſinonimè accipienda forent in tota hac maioratus conſtructura,adeſt expreſſa litera diſponens grauamen,non ſolum fuiſſe iniunctum filijs primi gradus,ſed etiam vlterioribus,in clauſula vocationis filiorum, & deſcendentiũ,ex filiabus Petri,quæ non poteſt coarctari ad ſolos deſcendentes ex filiabus Petri,ſed etiam ad deſcendentes ex filiabus Ioannis,nam poſt vocationem actiuam ipſorum deſcendentium,adduntur ea verba:*Et en la manera,è forma,e con las calidades,modificaciones,& retenciones de ſuſo ditas,& que de la parte de ſuſo es ordenado en el dito Iuan de Bardaxi, & deſcendientes del, con la manera,condicion,e carga,de auer de lleuar las armas,e ſobrenombre de Bardaxi ſuſo ditas,ſin mixtura alguna,ſegun de ſuſo largament es recitado.* Ex quibus verbis, ex natura relationis viſum eſt, copulaſſe duas illas ſubſtitutiones aſſumendo,ex vna,ad aliam,& è conuerſo: & ſicut non poteſt negari,quod in filijs,& deſcendentibus maſculis filiarum Petri,adeſt expreſſum grauamen delationis nominis, & armorum,ſine mixtura,idem dicendum eſt in omnibus deſcendentibus filiarum Ioannis, ex quo quando diſponitur grauamen in linea Petri,

dicitur, hoc intelligendum; *Con las modificaciones, calidades, è retenciones puestas en Iuan, y sus descendientes.* Ergo etiam cum qualitate nominis & armorum, prout declaratur in eadem clausula, ibi: *Et con la manera, condicion, & carga de auer de lleuar las armas, è sobrenombre:* Ex vi & natura relationis, & quia verba sequentia apta sunt, & efficacia, ad declaranda præcedentia, & è contra: & ita quando litera grauaminis apposita in filijs, & descendentibus masculis filiorum Ioannis, nõ essent ita clara, per se sola, sicut litera, quæ loquitur in lineã Petri; attamen cõmixtis quasi duobus capitibus, cũ verbis relatiuis, primo, secũdo, & tertio, iteratis dimanat cõtextura eiusdẽ euidens, fauore don Martini, vt similiter grauati cẽseantur filij masculi filiarũ Ioannis, sicut filij masculi filiarũ Petri, militãte eadẽ ratione in illis, quę in his: si quidẽ negari nõ potest filios descẽdẽtes masculos filiarũ Ioãnis esse descendẽtes eiusdẽ Ioannis, cui fit relatio in clausula grauaminis positi descendẽtibus filiarũ Petri. Quod, quando nõ esset habendũ, (prout habetur) pro certa, & clara literali dispositione, saltem debet reputari, & intelligi, pro declaratione præcedentium, ad demonstrãdum, quod eodem modo, quo in descendentibus filiarum Petri, de grauamine hoc, non potest dubitari, ita similiter in descendentibus filiarum Ioannis; quia præterquam, quod in omnibus militat eadem ratio, cum omnes per fœminas descendant, ponuntur verba ampliatiuè, ibi: *Segun de suso largamente es recitado*; Quæ nisi hoc modo intelligantur, restringuntur, contra mentem, & propriam significationem, & sic necessarium est fateri grauamen appositum, & iniunctum fuisse omnibus descendentibus masculis filiarum, vt ita memoria, & agnatio, *Bardaxinorum*, enixius conseruaretur: ex quo, à primo ad vltimum dicimus adesse literam claram, mentem certam, & verba expressa, quibus grauarunt contrahentes omnes descendentes masculos filiarum Ioannis, & filiarum Petri, vt verbum, *filios*, non intelligatur in filijs primi gradus, sed in omnibus descendẽtibus nepotibus, pronepotibus: & quando non esset ita clara litera, vt supra probatum est, sufficit, apposita fuisse in maioratu, ad conseruandam memoriam, & agnationem, prolata, nec impositum fuisse præceptũ & grauamen filijs nominatim, vt intelligantur de omnibus, non solum primi, sed vlteriores cuiuscumquè gradus, quia cum institutor Maioratus intendat suam agnationem per modos ab eo dispositos

cons-

conseruare inter descendentes, qua ratione fuit motus ad grauandum filium, vel filios, censetur voluisse grauare vlteriores; quia ratio prohibitionis facta filio, procedit etiã in descendentibus, vbicumq; testator grauauit successores propria arma deferre: cum enim maioratus sint perpetui, ita qualitates, & conditiones in omnibus successoribus debent esse perpetuæ, & vniformes, & qui in bonis succedere volunt, tenentur obseruare omnes leges & conditiones, rebus impositas, & ad quemcumque bona transeunt, debent habere easdem qualitates, quæ requiruntur in primis vocatis, cũ res transeant, cum suo onere; quod nullam habet dubitandi rationem, quando grauamen est talis qualitatis, quod fundatoris Maioratus intersit, quod per secundum successorem, vel alium vlteriorem exequatur: quo casu omnes successores in infinitum tenentur conditionibus parere, præcipuè quæ habent tractum successiuum, quales sunt delationis nominis, & armorum, & aliæ consimiles, quæ si apponantur in Maioratu, ligat omnes in infinitum: quia censetur, & reputatur onus reale, quando non imponitur nominatim, sed sub verbo appellatiuo *filiorum*, vel collectiuo *descendentium*, aut alio simili. Euincitur ergo, hoc in casu ex iam dictis, quod licet non fuerit dictum, quòd grauamen delationis nominis, & armorum imponebatur omnibus masculis, descendentibus ex fœminis, tamen cum versemur in Maioratu; & ratio grauandi sit eadem in omnibus descendentibus, & agatur de grauamine, habente tractum successiuum, & de conseruanda agnatione, debeat censeri omnibus vocatis impositum; & sic appellatione filiorum, contineri nepotes, & cæteros descendentes, etiam si versemur, in materia ex se odiosa & vbi stamus cartæ. Quoniam hæc omnia ex eadem carta procedunt, & potiùs fauorabilia, quàm odiosa debent reputari: Alias, mens, & litera subuerterentur, & contra genuinum sensum pactorum dotalium intelligeretur, & cauilaretur efficax ius resultans don Martino ex eis, iunctis contrauentionibus iteratis don Ioannis. A quibus, vel earum culpa, nec excusari debet, propter dubitationem, quia nullam adhibuit diligentiam, ad se certiorandum; imo in eadem cõtumacia permanens, post contra se latam sententiam, eodem cognomine, imo alijs adiectis vtitur. Ex quibus merito, propositionem iurisfirmæ don Martini recipiendam fore, reiecta altera don Ioannis, existimamus, & aliàs attentis contentis.

Sgi-

Sig†num mei Anthonij de Soria, in Ciuitate Cæsaraguſtæ domiciliati, authoritateq; Regia per totum Regnum Aragonum publici Notarij, ac Regentis principalis vnius ex Scribanijs Curiæ Domini Iuſtitiæ Aragonum, & eiuſdem Conſilij Secretarij, qui huiuſmodi vota & motiua, à originali libro dicti Conſilij, de anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo primo, in quo continuata exiſtunt, manu aliena extraxi, & cum ſuis originalibus benè, & fideliter comprabaui; in quorum fidem, & teſtimonium præmiſſorum meo ſolito, quo artis Notariæ vtor, ſigno ſignaui, approbo enmendatum, vbi legitur, fac, poſſe, tam, em, Martino.